



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Andreas M. 17. Octobris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

gius etiam hostem persecutus pepulit  
 e filiâ Ducis Gunzonis, quam infede-  
 rat, Galliarum tum Regis, sed Christi  
 postea sponsâ. Et poterat in præmium  
 accipere insulam Constantiensem, nisi  
 hanc quam tanti alii faciunt, nihili ille  
 fecisset. Itaque ad maiora præmia, &  
 GALLO digna, cælum evocavit. Ejus  
 funus equi ferocissimi sponte ad sepul-  
 turæ locum duxerunt! usque adeo ni-  
 hil ferum in orbe est, quod virtus non  
 domet. Ex VValfrido Strabone apud Sur-

S. ANDREAS M. 17. Octobris.

**B**ello, quod sacris DEI Divorumque  
 imaginibus barbarus Copronymi  
 furor indixerat, multum virtus AN-  
 DREÆ enituit, quippe qui sub eius  
 statim initia e Cretâ Constantinopolim  
 advolavit linguâ & pectore propugna-  
 turus pietatem. Et nimirum (clama-  
 bat ille in publico virtutis theatro)  
 majores nostros, qui pulchram pro pa-  
 triâ mortem oppetierunt, stantes in  
 saxo, in ære, in auro suspicimus; at ve-  
 rō qui pulchrius pro cælo sunt me-  
 tui, nullo honore dignabimur? Tibi  
 homini, Copronyme, aureas poni fra-  
 tuas & surgere cælo colossos specta-  
 bimus, neque impunè hos quisquam  
 nostrum jam violabit; tu verò cæli Im-  
 peratoris imagines, tu Imperatoris  
 Matris magnæ, tu amicorum hujus gra-

gratis eversum ibis? quin etiam improbè illam ex animo tuo imaginem deles, quam suâ manu, cùm te finxit, Numen depinxit? Sed quid ajo? dudum hanc orcus deformavit, & suis te coloribus pinxit. Hoc unum audi. Aut fallor ego (imò non fallor) aut, si terræ filius bellum porro cælis movere pergis, si sedibus suis Superos deturbare laboras, fulmen etiam tu senties. Erat hoc furiosum laceffere: Itaque flagrantem inclamat tyrannus: his lacerrum in vincula, inde inter lapidum imbres ad infamem mortem raptari jubet. Sed ecce adest, qui ex itinere, amputato altero pede, Divum cælo transmittit; profuitque ad compendium viæ, pedem abjecisse. Ex *Surio & Menau.*

S. LVCAS EVANGELISTA,  
18. Octobris.

**L**V CAM nobis Antiochia Syria peperit, educasse verò ipsæ in sinu suo Musæ videntur. Nam literis & Ægyptiis & Græcis omnibus excultus, arte insuper medicâ clarissimus habitus est. Sed nihil hæc omnia ad illa, quæ in Christi scholâ grandis discipulus didicit, sui Deique agnitione. Fertur etiam socius Cleophæ fuisse in Emaus eunti, tunc cùm ambobus à morte **CHRISTVS** se comitem junxit, hospesque

o o non